

§. 12. Eodem præjudicio capti Calviniani negant Carnis Christi veram, realem & substantialem in S. Cœna præsentiam, quia nempe Christus habeat verum, naturale, finitum & circumscriptum corpus, ideoque pluribus locis simul in S. Cœna adesse non possit; item, quia Corpus Christi in S. Cœna nec videatur nec palpetur: quia Christus in cœlum adscenderit, ad dextram patris confederit, & inde demum ad judicium extremum reversurus sit &c. v. Ursinus in *Explic. Catech. Palat. p. 545. 550.* Si hæc tenus dicta perpendamus, clarissime patet, hoc quoque argumentum ex ratione petitum, primum esse, adeoque admitti jure à nobis non posse; ut adeo ulterius refutare illud, actum agere esset, cum id à tot Orthodoxis Theologis ac toties sufficienter præstitum sit: Inter quos non ultimus est Dn. D. Hannekenius in *Obs. ad Maresii Syst. Theol. L. ult. §. 61. seqq.* Jubemus saltem Reformatos serio pensitare aureum illud Augustini ex lib. de Hær. Tom. 6. oper. *Multum adjuvat cor fidele, quid credendum non sit, etiam si disputandi facultate id refutare non possit.* Jubemus eos orare cum B. Ambrosio prec. 1. ad Missam, quæ extat Tom. 4. operum ejus: *Doce me quæso, ô Deus, per Spiritum tuum tantum mysterium tractare cum reverentia & honore, eaque devotione & timore, quibus oportet & decet.*

§. 13. Præterimus plura alia tum ad hæc tum ad alia quoque Religionis capita spectantia, quæ adduci pariter poterant eum in finem, ut Abusus Rationis Calvinianis familiaris dispalesceret. Videntur tamen hæc tamen sincere exposita exempla non exiguam rei fidem facere, ac plane demonstrare, nil quicquam causæ habere amplius Voetium, cum sociis suæ religionis defectum caritatis appellandi, quod Ekhardus *fasc. contr. c. 1.* Stegmannus in *Photinianismo disp. 1.* & Meisnerus in *Phil. sobr. quæst. gen.* suos cum Socinianis componant, quasi rationem faciant fidei principium & normam. Patet jam insimul, quid de Zwingliano illo jam superius allegato sentiendum sit, quod DEUS credenda non proponat incomprehensibilia. Nos scilicet meminerimus, quod Evangelium Christi sapientibus hujus mundi, adeoque omni hominum rationi videatur stultitia.

Si